Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Drei Vorlesungen in Rom - Cod. Ettenheim-Münster 196

Lugo, Juan

[S.l.], 1632-1633

Conclvsiones de voluntario et inuoluntario

urn:nbn:de:bsz:31-116360

Visual Library

CONCLUSIONES

De Voluntario et Involuntario.

1.

Voluntarium est, quod procedit ab intrinseco cum cognitione finis. Dividitur in liberum, & necessarium, quod licet non satis perfectum, reperitur in brutis. Est autem hæc divisio magis subiecti in accidentia, quam generis in species. Non potest etiam divinitus voluntas nostra libere omittere obiectum sufficienter propositum, sine aliquo actu positivo: ut omissio imputetur requiritur præceptum faciendi, non vero ut sit voluntaria.

2.

Voluntarium interpretativum, est duplex, aliud est solum conditionatum, & hoc sufficit ad tollendum involuntarium, non ad causandum voluntarium simpliciter., aliud est voluntarium tacitum de præsenti, & hoc sufficit ad valorem Sacramenti, non illud primum. Effectus positivus ex omissione secutus si non adsit præceptum impediendi, non semper est proprie voluntarius. Effectus vero positivus prævisus in causa cum necessaria connexione, est voluntarius virtualiter: si connexio erat contingens, est voluntarius permissivè, & impropriè.

3.

Involuntarium proprium est contra voluntatem efficacem., Violentum est, quod provenit a principio extrinseco, passo non conferente vim., potest inferri violentia causæ materiali., Agenti etiam potest esse violenta suamet actio, vel negatio actionis: desitio rei desinenti: creaturæ id, quod in ipsa operatur Deus., Voluntati negatio actus eliciti, vel imperati, non tamen volitio ipsa simpliciter, & absolutè.

Quæ fiunt

4.

Quæ fiunt ex metu sunt simpliciter voluntaria, involuntaria secundum quid. Concupiscentia aliquo modo auget, magis tamen minuit voluntarium: non causat involuntarium simpliciter, nec secundum quid. Ignorantia antecedens causat simpliciter involuntarium: Ignorantia consequens causat involuntarium secundum quid: Ignorantia concomitans nec voluntarium, nec involuntarium, sed non voluntarium. Idem dicendum est de in consideratione actuali, quæ aliquando est culpabilis a voluntate præterita, aliquando a præsenti, nunquam tamen possumus velle efficaciter, nihil considerando de præsenti.

5.

Voluntarium liberum creatum est, quod procedit a principio intrinseco potenti agere, et non agere: potentia libera creata debet esse activa, quæ autem ex natura sua non est activa, et libera, non potest divinitus elevari ad operandum liberè. Intellectus non est formaliter liber, sed radicaliter: non ita tamen ut volitionem liberam præcedat iudicium practicum, vel imperium rationis determinans voluntatem.